

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Historiae Ecclesiasticae Pars ...**

HISTORIAE EC||CLESIASTICAE PARS || PRIMA, QVA CONTI-||NENTVR ||  
Eusebij cognomento Pamphili Cæsareæ Palæ-||stinæ Episcopi lib. 10.||  
Eiusdem de vita Constantini magni lib. 4.|| Oratio Constantini magni ad  
sanctoru[m] cœtu[m].|| Oratio eiusdem Eusebij in laudem Constanti-||ni  
magni ad trigesimum ...

**Christopherson, John**

**[Köln], 1569**

Variorum barbarorum legationes, & hiis ab imperatore tributa munera.  
Cap. VII.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-29861**

*Variorum barbarorum legationes, & hiis  
ab imperatore tributa munera.*

## CAP. VII.

**I**Ndeq; factum est, vt frequentes vndiq; ex omnibus gentibus legati adessent secumq; preciosā donā ad imperatorem afferrent: ita vt qui fortuito ad vestibulum regiarum portarū accederent: claras & illustres barbarorum personas quasi ordine quodam dispositas animaduertere posse: quibus vestis non eadem: formarum species dispar: colora vero tum capitum tum genarum valde dissimilis: vultus ipse truculentus, barbarus, horribilis: Corporum incredibilis pene magnitudo. Iam aliis ora rubebant: aliis niue erāt candidiora: nonnullis mediocri colore imbuta. Nam Ble-  
myum & Indorum Legati. *Aethiopumque simul quorum iace-* Home. 10  
*cet extima tellus,* in ista hominum serie conspiciebantur. Odyss. primo fe-  
lio 1.4

Hij singuli tanquam in tabulis depicta, honoraria munera ad imperatorem adferebant: coronas hij aureas: illi ex preciosis lapidibus diademata. Iam alii flauam comam, alij au-  
ro & floribus contextas barbaricas vestes: equos alij: alij cly-  
peos & longas hastas & sagittas & arcus: quibus imperatori (si ita ei videretur) officium suum & societatem in omnibus bellis se offerre significabant. Quae postquam accepisset imperator, suumque singulis tribus locum, vicissim eos tantis muneribus donisq; ornauerit: vt eodem punto & momento temporis, legati locupletissimi euaderent. In quibus etiam nonnullos cæteris clariores & nobiliores Romanis honoribus sic illustrabat: vt plerique oblii ad patrios lares reuersionis, genus hoc vitæ amplexi sunt.

*Quod etiam Persarum regi qui legatos miserat,  
pro Christianis in Persia scripsit.*

## CAP. VIII.

**C**V M verò etiam Persarum Rex Constantino per legatos notus esse cuperet: eiique dona quædam mitteret, tanquam fœderis & amicitiae signa: cum hoc quoque se imperator societate & fœdere coniunxit: & incredibili quodam studio perfecit, vt à quo ipse primum honorū praemis prouocatus esset, eundem refundendis honoribus &

Oo 3      præ-